

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Querere Deum a
cum fonte primo

Querite faciem eius semper.

Si semper queritur, quando inuenitur?
An semper dixit in tota
uita qua hic uiuitur ex
quo hic debere nos facere cognouimus
quando et inuentus querendus est?
Iam Deum inuenit fides sed
adhuc eum querit spes; caritas autem et
inuenit eum per fidem et eum querit
habere per spem, ubi tunc sic
inuenitur ut

ultra non queratur.

Forte et cum facie ad faciem
uiderimus eum sicuti est, adhuc
perquirendus erit et sine fine
querendus quia sine fine amandus.

Augustinus super Psalmum CIII.

Sed quid est:

Quaerite faciem eius semper (Psa. 104)?

Scio quidem quia mihi adhaerere

Deo bonum est; sed

si semper quaeritur, quando inuenitur?

An semper dixit, in tota

uita ista qua hic uiuitur, ex

quo id nos facere debere cognouimus,

quando et inuentus quaerendus est?

Iam quippe illum inuenit fides, sed

adhuc eum quaerit spes. Caritas autem et

inuenit eum per fidem, et eum quaerit

habere per speciem, ubi tunc sic

inuenietur, ut

sufficiat nobis, et

ulterius non quaeratur.

Nisi enim eum in ista uita inueniret
fides, non diceretur: *Quaerite Dominum;*

et cum inueneritis eum, *Derelinquat*

impius uias suas, et uir iniquus

cogitationes suas. Item si fide inuentus,

non adhuc esset perquirendus, non

diceretur: *Si enim quod non uidemus,*

speramus, per patientiam expectamus;

et quod Iohannes ait: *Scimus quia cum*

apparuerit, similes ei erimus; quoniam

uidebimus eum sicuti est. An

forte etiam cum facie ad faciem

uiderimus eum sicuti est, adhuc

perquirendus erit, et sine fine

quaerendus, quia sine fine amandus?

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes*
in Psalmos, 104, 3 (CCSL 40, E.

Dekkers & J. Fraipont eds., p.1537,

ll.16-33).